

SPECIMEN INAUGURALE

DE

DIABETE MELLITO

QUOD

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI
NEC NON INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE PRO
DOCTORIS GRADU RITE OBTINENDO IN ALMA AC
CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE
PESTIENSI PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

DOCTOR REBICHARDO.

Theses calci operis adnexae propugnantur in palatio R. Sc. universi-
tatis minori die Mense anno 1834.

PESTINI

Type Landauerianis.

Seinen
hochgeschätzten Gönnern
und
innigst geliebten Freunden
den Brüdern

LACKENBACHES

widmet diese Blätter



der dankbare

A U C T O R.

Theuere Freunde!

Die freundschaftlichen Gesinnungen, die Sie stets gegen mich gehegt, und die Sie besonders im Verlaufe meines letzten Studienjahrs so schön durch edle Thaten entfaltet haben, sind zu erhaben, als dass ich sie nicht laut der ganzen Welt, zum Ruhme der Tugend, und Troste der Menschheit erzählte. Von der Heimath als Kind entlassen, den stürmischen Fluthen der Welt preisgegeben, konnte ich den regen Trieb nach Wissenschaften nicht anders befriedigen, als indem ich mich ihnen ganz widmete. Ich kämpfte dabey mit unzähligen Mühseligkeiten, und langte endlich an die lachende Flur meines Zieles an. Doch hier setzt eine weit gähnende Kluft meinem weiteren Vordringen Gränzen, an deren jenseitigem Rande ich den Tempel in welchem ich die Weihe empfangen sollte, erblicke. Nun stand ich dem Wanderer gleich, dem bey jedem Schritte vorwärts sich der Rückweg schliesst. Da kamen Sie Engel gleich freundlich mir die Stütze bietend entgegen,

die mich zum lange ersehnten Ziele führt. Wohl kenne ich die Opfer, die Sie mir gebracht, und würde untröstlich seyn, wenn der Gedanke: es gibt eine unsichtbare gerechte Vergeltung, mich nicht tröstete. Ja, laut rufe ich jedem vom Schicksale Bedrängten zu: Muthig vorwärts, es gibt eine höhere Weltung, und Menschen, liebevolle Menschen, die kein Opfer scheuen, wenn es das Wohl des Nächsten gilt!

Nehmen Sie gegenwärtige Blätter, als den kleinsten Beweis meiner unbegränzten Hochachtung für Sie an, und seyen Sie versichert, dass ich nie aufhören werde zu seyn

I h r

dankbarer

J. Reichard.

D e n o m i n a t i o .

Diabetes a graeco διαβατη quod idem est ac transeo proprium est morbi nomen, quod omni aevi varia subiit vicissitudines. Sic Galenus eundem morbum jam Diarrhoeam urinosam, jam hydropem ad matulam, Dipsacon (a serpente dipsas, cuius virus ardentissimam creditum est inducere sitim) appellat. Aliis Diabetes simplex est profluvium urinae, urinae levitas nimia; profusio urinae, citae emissio rerum, quae bibuntur. Nec defuerunt qui morbum nomine Siphonis urinae (a fusorii instrumenti similitudine petito) intellexere. Polyuria nomine Seidel ac Albert diabetem appellant. Diabetem anglicum Souvages; D. mellitum Cullen. D. saccharatum Phthisuriam saccharatam Nicolas et Guedeville Hufeland, Urorrhagiam Swediauer, Paruriam mellitam, Mason Good vacant. Hungaris mézes hugyár, Germanis Harnruhr, honigartige Harnruhr, Nachttopfachwindsucht.

D e f i n i t i o .

Diabetis definitionem omnibus notis absolutam, tam parum, quam ullius alterius morbi, cuius intima et ultima causa in tenebris latitat, dare valens; nec alia ac speciosa esse poterit. Olim quidem omnis urinae excretio solitum excēdens quantitatis modum diabetis nomine venit, quod tamen, qui perpendet, neque in statu physiologico organorum uropoeticorum se-et excretionem quoad quantitatem, quae pro vario anni tempore ac suntorum indole variat, ad certam normam definiri posse, vix unquam asserset. Alii enim urinam mittunt copiosam prout alii frequenter sudant. In paroxysmis hypochondriacorum, et hysteriarum, sicut in aliis quibusvis spasticis et rheumaticis affectionibus, in crisi febrium, solutione hydropis, dispositione ad urolithiasim, in dentitione, post usum largum

potulentorum aquosorum, diureticorum, sive e diaeteticis
sive pharmaceuticis sint penu desumta, larga mittitur urinæ
quantitas, quin status diabetis nomine insigniri possit.
Ut tamen definitio veritati quam proxime accedat has oportebit
ei addere notas, quae vi Auctoritatis Cel. virorum ei
conveniunt.

Est vera corporis per urinam colliquatio, aut lotii
profluvium vel copia potum longe superante, vel principii
saccharini admistione excedens, cum siti inexplebili,
cuti arida, squamosa, et macie extrema, sine febri in
longum plerumque incedens.

HISTORIA DIABETIS.

Ut quem pertractandum habeo morbi clarior sit notio
vices proderit enumerare, quas ab exordio ad hodiernum
usque diem subiit.

Medicorum Pater Hippocrates hujus morbi praeterit mentionem, aut quia non novisse, aut quia eum, si unquam occurrit magis pro potus largiter hausti effectu, quam vitae plasticae alienatione habuisse videtur. Nec Commentatores ejus celeberrimi sive in longa morborum enumeratione sive in indice quidquam de diabete memorant. Celsus notitiam morbi hisce prodit verbis „Cum urina super potionum modum mingitur, et jam sine dolore profluens maciem et periculum facit. Areteus brevem morbi conspectum proprio capite in scriptis ejus insignitum sequentibus sistit: Ardentissima ait sitis adest, potus copiosus multitudini tamen lotii non respondens, copiosus enim lotium redditur. Est hujus viri opinione ut porro resultat Diabetes carnium generalis colliquatio, quae in urinam transformatae continuo per renes et vesicam e corpore elabuntur. Galenus plane de duobus quos sanitati restituit diabeticis jactabundus gloriatur. Aetius seculo vivens post Chr. n. 7mo. diabeten affectum circa renes appellat potum largiore inducentem, una cum hoc quod quidquid bibitur simul ut acceptum est per urinam rejicitur; neque inde viro objicere fas erit, se morbum magis ex libris et narratione aliorum, quam propria novisse experientia; quot enim usque Willisium morbum propria nosse observatione satentium, diabetem non lienteriae urinalia aequiparant? imo qui ejus medendi modum, quoad diaetam et medicamina omnium coaevorum methodum longe supe-

rantem altius fuerit percontatus, nunquam non fatebitur Aëtium sententiae virorum maxime hac in re desudantium; recentiorum videlicet methodo multum accessisse; neque posteris diabetis cognitionem ampliare, licet quivis symbolam contulerit, lucemque in has scientiarum tenebras fundere successit. Qui Actuarii seculo 13 viventis per volverit opera; hunc a praegressi auctoris sententia non multum ab ludere fatebitur: Sic quoque Fernel, Houllier, Zactus, Duret et alii lienteriam urinalem pro diabete, huncque pro illo habuerunt; ut adeo fere omnes in eundem lapsi errorem, de summe essentiali morbi momento praesentia principii saccharini in urina nec somniaverint.

Tandem Willisius hanc in urina diabeticorum materiam praesagivit, quam vero plene evincere, partim ob morbi raritatem, partim ob zoochemiae tunc in germine constituti imperfectionem haud poterat. — Tardius, ubi haec inajora coepit incrementa, nebulis, quibus essentia morbi obvelata fuerat fugatis, Cawley an. 1778 materiam saccharinam in urina perfecte demonstravit. Egregia, quam nobis urinae analysim Galli Nicolas et Guedeville, et post hos Dupuytren et Thenard novis auctam experimentis tradiderunt, morbum non parum illustravit. Multum quoque in acceptis refertur viris Morton, Cullen, Rollo, P. Frank, Stosch, multisque aliis, quorum conatibus morbi cognitio non parca cepit incrementa.

Status eruptionem morbi praecedens.

Symptomata prodroma varie modificata se sistunt, in variis individuis. In omnibus tamen ad abnormem organorum digerentium statum reduci possunt. Cum vero morbi cavi abdominis organa infestantes, ut haemorrhoides, arthritis, urolithiasis eadem fere habeant prodroma; patet, diagnosim diabetis primo in stadio constituti non leví premi difficultate; inde factum fuisse videtur, ut ex improviso irruentis Auctores notaverint morbi exempla, quale inter caeteros Petrus Frank quoque refert.

Fida tamen plurimorum observatione innotuit morbum nequaquam prodromis neglectis erumpere. Quae cum ita sint, probabilis redditur eorum sententia, qui asserunt: prodroma in plerisque insensibiliter subrepere, ita ut in quibusdam non possint, in aliis vero nolint observari. Quodsi

attento oculo statum aegri sciscitatus, signa morbosa collegeris, haud te fugient coenaesthesia alienata, acoris in primis viis indicia, sapor oris, ructusque acidi, niderosi, vomitus muci brunei, acidi, saepe recurrens, appetitus, multum varians, saepissime auctus, polydipsia cum molesta oris siccitate, micturitio frequens, macies incipiens, lasitudo, dedolatioque artuum, et multa alia, quae pro varia aegri dispositione ac habitu variant, ita impetigines in cute in quibusdam morbi eruptionem praecedunt, tumores glandularum et labii superioris Reil notat, in aliis tussis siccis, dyspnoea, ut prodroma diabetis assignantur. Quae tamen prioribus minus constantia rarissime ad perficiendam prodromorum imaginem accidunt.

Symptomata morbi.

Cum morbus prodromis praeteritis pleno evolvatur, symptomata prius notata intensitate et numero augentur. Principale ac memoratu dignissimum nobis offert symptoma functio organorum uropoëticorum alienata.

Urinae videlicet se- et excretio peccat: et quidem quantitate, qualitate, tempore seu quando, et micturitione seu quoties ad lotium mittendum aeger compellatur.

a) Quantitas urinae eum in modum aucta est, ut non tantum cibum et potum assumtum pondere longe superet, sed ipsius etiani corporis tum temporis emaciantis defectum. Pauca adducit Rollo exempla, ubi inter ingesta et urinam justa haberetur proportio, longe frequentior est illius excessus, qui experimentis per Dupuytren et Thénard institutis demonstratus, ad mensem C. Richter aliunde quam absorptione cutis et pulmonum explicari nequit. Copiosa adducunt Auctores ad quantitatis augmentum probandum exempla, ex quibus memoratu dignissima sunt a Fonseca Innocentii X. Pontificis Medico, et Morgagnio adducta. Prior anno 1637 virum 27 annorum diabete insipido laborantem sub tractamine habuit, qui quotidie urinae tenuis 200 reddidit libras, qui tamen omne potus genus horruit. Alter durum meminit personarum, quarum una intra dies 94 ultra 3600, altera intra dies 97 ultra 4100 lotii miserat; licet (ut ait) „earum utraque non modo aut parum aut nihil biberet, sed quasi eorum instar qui hy-

dropobia laborant et sitiret plurimum et potionum quamlibet abhorreret." Puellae septem libras haurientis, 36 pintas lotii reddentis exemplum P. Frank adducit.

b) Gravioris momenti hocce in morbo est urinae qualitas, saccharinique principii, quo haec scatet copia. Licet ab Auctoribus et insipidus adducatur diabetes, qualitate hac destitutus; plerumque tamen iu ista licet pallida, serosa, limpidissima, sapor melleus vel succo alni betulae verno tempore perforatae similis dulcedo se prodit. Hoc lotium ad ignem vapores exhalat suaveolentes atque ad certam spissitudinem redactum, melliformem bruneam mucosaccharinam largitur substantiam ulteriori solutione inspissatione facile depurandam, in aqua solubilem ad carbones candentes sacchari genuini odores eructantem. Similis extracti Cruikshank ex ♂ 36 uncias tres cum drachma una, Frank ex ♂ 24 unc. 25 eduxit. Majorem alios quantitatem obtinuisse idem testatur auctor, quae tamen proportio in genere definiri non potest, cum copia principii saccharini pro aegri constitutione et morbi stadio multum variet.

Sequentia sunt circiter momenta, quibus urina diabetorum ab illa sanorum differt.

Quantitas in sanis est in ratione ingestorum ac perspirationis cutaneae directa; dum illa diabeticorum ingesta longe superet, et nocte cum perspiratione augeatur.

Color urinae sanorum est dilute flavus seu citrinus; diabeticorum urinae jam est tenuis aquosus, jam turbidus aut serosus, lacteus, flavoviridescens. Rollo, Prout, Kaempf, Michaëlis stramineum esse volunt. Hope, viridescentem observavit, ut adeo color plurimum variet.

Odor in sanorum urina notus juris animalis recentis post refrigerationem urinosus; in diabeticorum lotio sero lactis est analogus aut melli dilato similis.

Sapor in sana salsus (amarus ingratus Proust) in diabetica dulcis.

Partes constitutivae urinae sanae ad analysis Berzelii sunt: in 1000 partibus.

Aqua	- - - - -	933,00	Urinae vero diabeticorum.
Urei principii	- - - - -	30,10	quae basim urinae, a quibus
Kali sulfurici	- - - - -	3,71	characteres odorem et sa-
Natri sulfurici	- - - - -	3,16	porem repetit, constitnunt
Natri phosphorici	- - - - -	2,94	paucissimum vel nihil offerit,

Natri muriatici -	4,45	partes salinae quoque im-
Ammonii muriatici -	1,30	minutae reperiuntur, in spe-
Amonii phosphorici -	1,65	cie excellit amonii et phos-
Acidi lactici, ammonii lactici materiae ani-		phatum penuria, quo-
malis in alcohole so-		rum vices saccharinum
lubilis, et insolubilis		principium occupat. Prout
aa. - - - -	17,14	saccharum diabeticorum che-
Acidi lithici - - -	1,00	micas analysibus explorans
Muci vesicae urin.	0,32	saccharum idem duplam quan-
Terraesiliceae - -	0,03	tatem principii carbonici et
Salis terrestris phos-		oxygenii continere, quam u-
phorici cum vestigio		reum, nullumque tamen azo-
calcis fluoricae - -	1,00	tum ut ureum praebere hydro-
		genii quantitatem in ambobus
		aequalem esse invenit.

Momentosa est ejusdem Proutii distinctio diabetis in phosphoricum, cui copia simul adest urei, per acidum nitricum additum, absque spissatione crystallisabilis, et Uricum, cui nullum adest ureum (cujus partes in acidum parandum inhibitae fuisse videntur).

Gravitas specifica sanae 1,020 Henry 1,0125 ad Proust, diabeticae 1,026 ad 1,050.

Aeri exposita sana praevie turbatur odorem ammoniacalem eructans, colorem flavum in bruneum mutat, mox putrescens sedimentum pulverulentum deponens; diabetica aeri exposita sub gradu caloris 10—12 sola vel cum fermento cerevisiae in fermentationem tuminosam, tum aescensem ruit, quo primis sex diebus turbari incipit, sedimentum floccosum dimitit, quo deposito liquidum odoris et saporis acetici succos plantarum coeruleos rufans evadit limpidum.

Evaporatione urina sani in spatio vacuo dat pulverem biuratis ammoniae (Prout); evaporata et efrigerata dat crystallos copiosas salis microcosmici — Phosphatis natri ammoniacalis (sal nativus urinae, schmelzbares Harnsalz) praecipue, si ope alcoholis praevio separatum fuerit Ureum. — Diabetica extractum consistentiae mellis coloris brunei largitur, quod loco frigido expositum consistentiam granulatam Cassonadae similem assumit, cum plumbō muriatico et pulvere carbonum destillatum nihil ex ammonio verum hydrogenium carbonatum et oleum empyreumaticum reddidit, in alcoholis 4 partibus digestum totum.

fere solvebatur; cum acido nitrico destillationi subjectum copiosum gas acidum nitrosum extricatur, residuum in aqua destillata solutum et evaporatum crystallos acidi oxalici depositum.

Sequentes sunt mutationes, quas varia reagentia chemica in urina diabetorum produxerunt.

Tinctura lacmus urinae diabeticae ex rubro violaceum, sanae ex profundo rubrum communicat colorem. Acidum sulfuricum concentratum urinae diabetorum colorem eleganter roseum communicat, cum effervescentia levi, liquidum spuma tegitur alba, levi, sat diu persistente, manet inodorum praecipitato nullo exorto, idem, acidum urinae sanae mixtum, effervescentia sub minore spumaque parciore, liquidum colore rubro-flavo induit, praecipitatum in fundo vasis enatum est parcum rubronigrescens. Aqua calcis turbat urinam diabeticae pariter ac sanam, sedimentum in utrisque paulo post enatum, est leve, album, constans ex calce phosphorica, cuius quantitas in sana dimidio major, postquam fluidum evasit limpidum ut aqua in priori servat idem in altero colorem. Acidum oxalicum praecipitatum in urina diabetica leve, floccosum, coloris rosacei producit, cuius magna pars in fluido suspensa manet; idem, praecipitatum in urina sana producit constans oxalate calcis. Potassa pura turbat urinam tam diabeticae quam sanam cum extractione pauxilli amonii, quod sicut praecipitatum album copiosius multo in urina sana esse solet. Baryta muratica turbat urinam diabeticae, quae sedimentum depositum album, parcum, quod sedimentum in urina sana copiosius est, et coloris ex bruneo nigrescentis. Argentum nitricum in diabetica sedimentum ab initio producit album, quod paulo post evadit violaceum, remanet liquidum inodorum coloris albescens limpidum. Praecipitatum, quod idem reagens in sanorum producit urina copiosius multo coloris est violacei quidquam profundioris, liquidum servat colorem ex rubro flavum odoremque urinosum praecipitatum in utrisque est, mixtum ex argento nitrico et phosphoro. Mercurius nitricus praecipitatum in utrisque producit coloris rosacei, parcius quidem in urina diabetica, quae decolor inox evadit, cum sana flavum retineat colorem. Plumbum muriaticum diabeticae colorem communicat lacteum, praecipitatum enatum, quod impure

album ex plumbō phosphorico constat, si fuerit depositum liquidum sit decolor, idem tingit urinam sanam colore violaceo, praecipitatum producendo rubescens.

Diabetis insipidi lotium albidum coctione praecipitatum dimitit floccosum; acido urico et saccharo caret haec urina ad observata Chevalier, vel paucum tantummodo gehit saccharum 5,5 ita ut sapor salium praesentium sapore suppressatur, cum fermento tamen in spirituosam transit fermentationem (Barruel).

Haec sunt, quibus urina sana a diabetica discrepat, quaeque experimentis a Frank, Home, Dobson, Cawley, Cruikshank, Prout, Fourcroy imprimis vero Nicolas et Guedeville, Dupuytren et Thénard institutis innotuerunt. Quibus collectis patet urinam diabeticam albuminis urei, et phosphatum penuria laborare, neque ulla acidi liberi vestigia prodere, excellere vero saccharini principii copia.

Dum status aegroti ad sanitatem vergit immixta dulcedine augetur quantitas albuminis, tardius urei, tandem acidi urici, et tunc jam acide reagit.

c) Tempus, quo aeger ad lotii missionem compellitur, potissimum initio est nocturnum, dum sub lecti stragulis incalescit, minorque ejus est micturitio, dum lectum deserit, quod justo Whytt admiratur, legibus enim physiologiae, quibus constat, urinae se- et excretionem esse in ratione cum perspiratione cutanea inversa e diametro adversatur, quaerit idem auctor an nocturnum proflavum non idem in diabete, quod colliquativi sudores in febri hectica? cui consentire facile abriperemur, nisi in progressu morbi lotii non minus interdiu quam noctu redderetur.

d) Micturitio tantum assequitur gradum, ut vix brevissimo tempore lotium retineri possit, ut recte Veterum Aretaeus notet „Mictum vero, quae ratio suppresserit, aut quae verecundia dolore potentior?

Secretione in organis uropoëticis sic exorbitante, alias necessario restringi legibus pathologicis constat, inde cutis superficiem refert aridam, squamosam, furfuraceam, herpeticam, insensilem, ita quidem ut pili absque omni doloris sensu evelli possint. Tubus alimentaris humeribus sic in oeconomia animali aliorum conversis, scabillis infarctus neque odore aut colore foeculento praedi-

tis alvi constipationibus ansam praebet, sed praeter hanc constipationem aliam nobis idem seriem offert symptomatum: videlicet. Cum autocratia naturae defectum materiae organicae per organa urophora eductae supplere conetur sitis exurgit intolerabilis poculo vix a labris remoto recurrens, tantumque vehementiae gradum assequens, ut non facile animi imperio sustineatur. Referuntur exempla aegrorum ob denegatum per pauxillum temporis potum syncope correptorum (1). Quanta vero sit polydipsia vel inde patet, quod nullo fere potu sedari possit, licet aquae immanis copia ingeratur (20—90 ℥ *Zacutus?*) per diem. Nec tamen desunt exempla diabeticorum siti minori, aut plane aquae horrore correptorum, quale supra in quantitatis mentione occurrit. Quae tamen exempla ut exceptiones consideranda erunt. Communiter tum temporis lotium minus quantitate, quam mixtionis errore peccat. Eandem ob causam vix non apud omnes sub ipso sitis incipientis momento vel paucum tardius fames copioso saltem cibo mitiganda in conspectum prodit crescente morbo quam plurimum donec febris sat conspicua se redderet aucta. In multis quidem certis temporum periodis, fames haec morbosa alligatur. Serius tamen voracitas continua anorexiae cedit, quae in febri hectica, dolore, ardore, vigiliis vires exhaustibus radicatur.—Praeter polydipsiam atque bulimum molestum, ardor non solum in tubo intestinali sed et in aliis visceribus: vesica urinaria, hypochondriis diabeten comitatur, quem Frank a veneno peculiari acri, Berndt et Haase ab acida humorum entericorum indoli derivant irritante, Berndt idem ructibus acidis, ejactione per emesim liquoris acidi comprobari arbitratur, in vesica vero ardor defectui muci lotio constanter illic derivato abrasi tribuendus esse, Trnka censet. Si demum ad notionem tubi intestinalis complendam cavyum oris examinemus, idem siccum, gingiva scorbutica instructum, dentes vaccillare, excidere, in aliis odontalgiam saepe recurrentem linguam puram et praerubram aut muco variegato tectam, saepe villosam, pustulis ad labia usque proserpentibus conspersam, saporem dulcescentem, halitum foetentem, mucum screatu tenacem.

(1) Knebel Materialien zur theoret. Heilkunde Bd. I. Breslau 1800.

editum saporis nauseoso dulcescentis frequentor quidem reperimus.

Reproductione sic vitiata, m a c i e s cum cachexia universi corporis nexa in diem magis evolvitur, quae extremitatum morbi in stadio in universi corporis colligationem erumpit, quacum virium jactura nectitur tanta, ut aeger neque pedibus longiori tempore insistere minus incedere queat; verum lecto sido miseriarum comiti constanter affigatur.

Practer hanc lassitudinem muscularum, sensumque debilitatis, sensatio liquidi in vesicam descendantis, frigus extremitatum inferiorum, dolores femorum surarumque, regionis sacralis, in aliis faucium sine phlogosi vehementes observabantur. Ulteriori sub morbi decursu paralysis vesicae urinariae, aliarumque partium imprimis nervi optici accedit. Mulieres diabeticae in regione urethrae sensum pungentem per vices recurrentem accusant. Viri praeputium offerunt tumidum, phymosim referens, glans vernice caseosa tecta exulceratur. Peculiare phenomenon diabeticorum praebet impotentia in viris nunquam absens, in nonnullis cum testiculorum et penis corrugatione nexa. Potens quondam Veneris in castris miles hoc a morbo vix correptus, non modo omnem cum uxore coeundi potentiam, sed ut referebat, seminalis vestigia liquoris in totum amisit (Frank).

Huc tandem et psychicus status depresso, unde morositas et ad melancholiam propensio, spectat; Somnus initio micturitione, sitique perturbatus, mox penitus fugatur, pervigiliis locum cedens.

Respiratio citata cum sensu punctorio in cavo pectoris peragitur. Circulatio nunquam est plerorumque consensu accelerata, verum pulsus mollis non ultra 40 vices per minutum primum vibrare fertur. Cui tamen opinioni Rollo observationes opponit aegrorum, in qui 80 vibrationes eodem tempore perfecrat.

Multum ventilata est inter Auctores quaestio an sanguis diabeticorum saccharum teneat nec ne?

Qui ejus praesentiam affirmant eandem ex saliva, sudore dulci, vel sputis ex organis respirationis eductis dulcescentibus suspicantur. Verum neque recentioribus chemiam frustra consulentibus idem evincere successit. Sanguinem tamen vitio laborare patet: ex odore sanguinis subdulci;

sero copioso; defectu fibrinae notabili, muscularum laxitate, telae cellulosa gelatinosa indole se prodente; chylo non intime sanguini mixto, cum hunc alii in vena subclavia (Marshal) alii (Michaelis) in cordे deprehenderint.

Morbō demum ad initium properante, ingravescitibus symptomatibus sub continuo lötii profluvio, pedum et lumborum oedema, ad ventrem ascites nascuntur; augentur miseriae aegri alvi fluxu accedentes. Cum animi dejectione facultates intellectuales prostratae, sensuum interhorum stupor, externorum hebetudo, stimulis haud obediens fortioribus, anxietates, tremores, convulsiones muscularum extēnorū, spasmī imi abdominis, calorē vespertini, pulsus debilissimi frequentes, anorexia, lipothymia, vox rauca, deleta in conspectū vēniunt, donec mōrs beneficā fristem hanc vitā, aegro aliisque molestiae scēnam claudat.

Quae sectiones pathologicae offerebant phœnomena parcant morbo assudere lūcem. Occurunt in cädavere, renes molles, laxi, spongiosi, jātu monstrose tumentes, jam collapsi, velamentis cartilaginosis obvelati, alias ex toto consumti, pelvis renalē dilatata; vasa sanguine repleta. In quibusdam renē substantiam absque ullo ulceris vestigio puriformem, ureteres dilatati calculos tenuerunt, vesica urinalis ampla, incrassata, indurata, ossa mollia, foveas dentium detritae, vitia organorum cavō pectoris inclusorum in plerisque vero infarctus lienis hepatis et glandularum meseraicarum sē obtulerunt. Tela cellulosa, cariesque latae bruneae inventae. Specificum odorem moscho analogum Michaelis observavit. In multis vero nullum præmissorum detegi poterat signum. Unde justo dubii haesitant auctores: Causae ne, an effectus instar inventa considerari possint?

D i a g n o s i s.

Haec in stadio prodromorum levī haud vēnit labore; aut morbi in progressu, habitō urinā e quoad quantitatem exorbitantis, quoad qualitatem peccantis, insuper famis, sitis, sic citatisque integumentorum communium respectu facilime cognoscitur. Exactior tamē erit morbi diagnosis, si morbos diabetis aemulos ab eadem arctis quantum licet limitibus separaverimus.

Morbi diabēti quoad formam extēram analogi sunt:

(1) Hufeland Journal XlV.

1. **Enuresis**, in qua lotium quantitate justa id est nec per se, nec relate ad potulenta exorbitans secernitur; verum peccat excretione, ita quidem ut in hac completa neque per momentum retineri queat, neque ullum prodit principii saccharini vestigium; cum in diabete urina quantitative et qualitative alienata non tantum uberioris et morbose secernitur; verum aliquo tempore voluntatis imperio subjici potest; sed praeterea sitis, fames, debilitas, macies diabeten comitari solita, nequam enuresim characterisant.
2. **Largiores urinae** sub insultu hypochondriacorum et hysteriarum, item crisi morborum acutorum, solutione hydropis, evacuationes, in quibus tamen praeter defectum symptomatum pathognomonicorum diabetis, levamen evacuationem urinae insequens differentiam inducit sat notabilem; inversa enim levaminis ad evacuationem ratio in diabete obtinet.
3. **Lienteria urinalis**, in qua potus assumti nec mutati per organa urinalia ruunt, morbus veteribus essentialis diabetis momentum ignorantibus cum eo idem, quem recentiores Frank, Reil experimentis non obstantibus (1) in dubium vocant; differentem in eo sistit a diabete aegritudinem quod secedens urina, ea quae ingerruntur non superet, desitque in illa principium saccharinum.
4. **Chyluria urinalis** alias coeliaca urinalis nuncupata, in qua chylus negotio digestionis peracto secedere fertur, cuius exempla a Knebel (2) et Stöller (3) notata reperiuntur. Recentiorum tamen nemo de illius existentia certi quidpiam refert. Frank se nunquam morbum vidisse tradit. Probabile itaque est, observationes hujus morbi phthysi renali, urethericae, vesicali, in quibus materia purulenta per organa urophora evexitur appertinuisse, minime tamen haerebimus hancce speciem cum Reil diabeti subordinare, quod in utraque materia nutriens per renes excernatur.
5. **Dipsacus** aliorum morborum, in specie synochae inflammationum abdominalium, vel hydropis symptoma est, cuius tamen a diabete differentia, partim per morbo-

(1) Salsb. med. chir. Zeitung 1807 Nro. 62. S. 192. Dr. Wollastow et Marct in Annal. d. Chim. Novemb. 1812. Pearson hey Rollo.

(2) I. c.

(3) Beobachtung und Erfahrung. Gotha 1777.

Fum, cuius symptoma est praesentiam, partim vero per defectum principii saccharini; justamque lotii ad potus assumtos proportionem facile determinatur:

Decursus et Typus morbi.

Decursus diabetis latus; duratio chronica plerumque esse solet, ita ut in annos protendatur. Notantur tamen a Dobson diabetes 5 hebdomadum; quin imo ab Oosterdick (in Horn-Arch) aliquot dierum (?) uterque lethali terminatus exitu. In ephemericibus curiosorum naturae, exemplum narratur diabetis toto sub vitae decursu perdurantis. Dr. Storer adducit exempla duorum sexagenariorum diabetis per annos laborantium; nil praeter delassationem artuum; linguam impuram albicantem polydipsiam absque fame aucta; urinam dulcescentem morbos offerentium.

Typus minus raro hoc in morbo manifeste expressus esse solet. Omnia frequentissimum est continuus, in qua per seriem annorum protensus nonnisi morte interrumitur.

Quidam tamen diabetem re- et intermittere, quo sub temporis spatio urina quoad quantitatem et saporem normalis cum symptomatum reliquorum decremento evacuat, mox aucta acerbitate alienata, fidia observatione erudit referunt Auctores. Hufeland mulieris meminit diabetem nonnisi graviditatis periodo correptae. Borrichius (2) diabetis nonnisi per 3 dies singulo mense durantis; Willius (3) quotidiani, Camerarius octidui, Bartholinus menstrui pro confirmatione diabetis typicali veritate adducunt exempla; quorum tamen nonnulla hypoehondriacis affectionibus accensenda potius esse, quam diabetum aliis vix ipse dubito.

D i v i s i o n e s .

Opinio quam de hoc morbo fovebant Auctores variam, variis ejus divisionibus ansam dedit. Gravissima omnia a charactere morbi petita usi, sthenicum seu diabetem cum synocha (minime probandum) et asthenicam Reil et Knebel distinguunt; plerique tamen Creutzwieser, Sprengel, Dreyssig asthenicum solum agnoscunt dupli sub forma comparentem; spasticum et tor-

(1) Hufeland Journal Bd. 65. St. 7. S. 31.

(2) Miscellen Nr. 6. Dec. 1. 2: obs. 167.

(3) Medicus Geschichte der period. K. T. I. S. 161.

pidum. Symptomata vero quibus utriusque morbi formas differunt sequentes sunt.

D. spasticus d. typhus d. cum erethismo, symptomatibus indolis spasticae stipatur, ut retentione urinae, doloribus renalibus, insomnia affectionibus hypochondriacorum aut hysteriarum. — Morbo erumpente doores regionis lumbalis et renum scindentes, urina tenuis serosa viridescens, sedimentum nullum formans, versus meridiem ac mesonocium largior evacuata, sitis ingens, cum pulsu contracto, respiratio difficilis, tussi saepe interrupta, loquela spasmodis intercepta, leves muscularum convulsiones, cutis spastice contracta, arida in conspectum veniunt. — Morbo demum ad finem vergente, lapsu virium cum pulsu debili aspredine cutis impetiginibus tectae, oedemate pedum genitaliumque increscente, dulcedo urinae eo magis minuitur, quo propius aeger morti accedit, quae paulo ante mortem insipida evadit (Cawley.)

D. torpidus d. paralyticus, prodromis statum atrobiliarum infarctusque annunciantibus stipatus, morbo ingruente minus dolore renum, quam sensu liquidi ex renibus in vesicam depluentis, urina lactea, turbida, circa aegri voluntatem missa, stupore pedum, siti modera- ta, fame aucta, pulsu debili, suppresso, insignitur, quibus versus finem morbi lethalis, haemorrhagiae paralytiae, fluxus coeliacus, hydrops, paralyses, surditas, coecitas, mors demum placida accedunt.

Vix vero unquam qualis in praecedentibus depingitur imago diabetis arctis limitibus circumscripta in natura occurrit. Unde C. Haase omnem diabetem in primo stadio erethisticum ultimo exhaustis viribus in torpidum abire non immerito suspicatur.

Sunt qui diabetem verum notis supra expositis notatum a spurio, quo evacuationes potius criticae vel symptomaticae referendae sunt separant. Verum in mellitum et insipidum dividere solent, quae species minus quantitate urinae et potulentorum, quam praesentia sacchari, quo posterior destitui fertur differunt. Verum cum observationes parum exactae nil offereant, quo differentia essentialis inter utrumque statui possent, minus quidem cum Cullen et Reil existentiam ejus penitus negabimus; minus tamen a vero aberrare arbitramur, si diabetem insipidum cum Dobson, Henke, Haase,

Horn, Brandis leviorum solum morbi gradum sistere, ubi vis assimilatrix nedum penitus prostrata sacchari formatio- ni resistit, atque unum in alium transire statuamus. Idem P. Frank materiam nutrientem in diabete insipido proprius naturae animali accedere pronuncians sentire videtur.

Quas alii moliuntur divisiones hae sunt:

1. D. **C o n t i n u u s** et **r e m i t t e n s**, huc excretio urinae subdiu parcior, et periodi levaminis apparentis morbo durante intercurrentes.
2. D. **p e r i o d i c u s**, huc exempla diabetis cum typō quotidiano, octiduo, menstruo incidentis spectant.
3. D. **s i m p l e x** et **c o m p l i c a t u s**. Complicationes sint stunt hypochondriasis, hysterias, convulsiones, paralyses, infarctus, indurations etc.
4. D. **d e c i p i e n s**, in qua excretio urinae quidem parcior reliqua tamen symptomata imprimis dulcedo et mancies morbi praesentiam testantur.
5. D. **C a s e o s u s** a Boerhaave et Home nomine D. lactei ab Alibert nomine polyuria caseosae descriptus, in qua urina chylo similis albo-opaca, materiam ad analysis Vauquelini tenuit caseosam. Recentioribus temporibus Bitzio exemplum viri 40 annorum refert a mente Januario usque Junium lacteum mittentis lotium. Hoc lotium lacti vaccarum simile quieti permissum in cremeum atque turbidum non amplius lactiforme fluidum cessit, tremor hinc obtentus butyrum vaccarum cremenris instar praebuit. Cajori expositum lacti vaccarum non absimile contraxit coagulum.

A e t i o l o g i a.

Variae de causa morbi proxima opiniones.

Haec morbi pars maxime eruditorum exercuit ingenia. Variae atque sagacissimae, quae ad explicandam diabetis pathogeniam excogitatae sunt hypotheses, acerrimo licet ingenio per omnia morbi momenta traductae, mancae, atque imperfectae, lucem quidem spargunt, nequaquam vero essentiae illustrandae sufficientem, seu rem quidem explicant minime vero exhausti.

Veteros, quibus diabetes praeter profluvium urinae iminane et ejus consectaria nil memoratu dignum offerebat, sacchari praesentiam ignorantes causam proximam diabetis a laxitate canalium (Aretaeus) a re tentricis renum fa-

cultatis imbecillitate, et attractricis robore (Trallianus Aëtius) ab aucta circa renes caliditate, quae renes atractabundos serosae substantiae efficit, aut a ventre sicco, quo renes in locum tubi intestinalis secretionem vicariam suscipiunt (Actuarius) repetiere. Theoriae alioquin primo obtutæ ineptæ et insufficientes.

Alii vitiæ organorum abdominalium ut proximam diabetis inculpant causam. In his Mead (1) principem tenet locum, morbi sedem in hepar obstructum induratum, steatomatosum, et inde oriunda vitiæ cholopoezeos dislocans, qua miscela bilis peccante imperfectus vebatur ad renes chylus. — Ast licet hunc grave morbi praedisponens momentum minime latuisse fateamur, tam plurima absque hepatis vel visceris alicujus obstructione diabetis exempla, ac major pro causa tam communis morbi infrequentia facile hanc subvertunt opinionem.

Rollo (2) proximam diabetis causam in ventriculi activitate morbo exaltata cum secretione suco gastrici superabundante et vitiata, sitam esse arbitratur, quo fit, ut ex alimentis saccharina materia vel generetur, vel per solam decompositionem extricetur, quae ex defectu assimilationis immutata celerius per renes excernitur. — Et certo pro ventriculi activitate exaltata voracitas insolita frequenter recurrens absque ullis a tanta ciborum mole graveminibus, salutaris remediorum sopientium effectus, in et decrementum appetitus cibi pari cum morbi vehementia passu incedens, abunde loquuntur. Hunc ventriculi excessum succi gastrici abundantans, acidaque sequatur secretio necesse est, pro qua digestio rapida, materia tenacis durante morbo per vomitum ejectio, sapor oris fatigus abunde loquuntur. Ob morbosam hanc ventriculi et succi gastrici affectionem non possunt nutrimenta scopo individuali conformiter mutari, verum in substantiam saccharinam debent converti, sive per singularem istum processum, qui ob morbosam ventriculi et succi gastrici affectionem in hoc obtinet ex substantiis vegetabilibus evolvi. Materia saccharina hac ratione generata, ob defectum assimilationis immutata manet, quae ut materia heterogenea cito in systema vasorum dispescitur, et qua talis rapide eliminatur — unde bulimia. Ratio augmenti urinae in activitate ventriculi

(1) Trnka de diabete,) op. inf. cit.

(2) Rollo de diabete,)

exaltata per consensum renibus comunicata, querenda. Lotii quantitatem analogam esse potionis exemplis probat Rolla, qua ex ratione de aucta cutis resorptione et hydrogenesi in pulmonibus pro explicando urinae excessu rejicit sententiam.

Verum acri licet ingenio haec sit hypothesis constructa, minime tamen causam proximam plene dilucidat. Percontanti enim praeter valida physiologica et pathologica rationum momenta opponenda quaestiones se obtrudunt: unde illa humorum hyperoxydatio? et concessa quantitate lotii potionis analoga gravis saccharogeneseos explicatio desideratur.

Interim haec theoria maxima est dignitatis et ad veritatem quam proxima accedens, illi enim conformem idem auctor adornat therapiam quae per complures imprimis Dupuytren et Thénard, Nicolas et Guedeville experientiae lydio probata ceteris palmam praeripit.

Oppositam huic Cullen(1), Dobson, Home, Place(2) Sydenham eundem quidem assimilationis defectum admittentes verum in intestinorum debilitate radiatam statuerent sententiam. Hanc momentis causalibus, quibus debilitas aut totius organismi, vel solum organorum digerentium inducitur, quaeque sanguinis, vel seminis jactura praegressa, victu parco, laboribus exhaerentibus, animi pathematis deprimentibus, abusu spirituorum, cita temperiei corporis mutatione absolvuntur sufficiunt. Ast qui ex praemissis famem morbosam, absentiam symptomatum debilitatem indicantium urinae quantitatem cum praesentia sacchari explicabis?

Ingeniosam de morbi quem pertractamus causa proxima celeber. Henke(3) adstruit sententiam, qui nec assimilationis defectum, nec secretionem perversam renum, nec excedentem vasorum lymphaticorum activitatem, ut momenta pathogenetica seorsum considerata pro explicanda diabetis pathogenia sufficere existimat; verum ipsum diabetem ut affectionem totius systematis lymphatici, eujus totidem gradus, momenta praemissa efficiunt, considerat.

1. Assimilatio imperfecta symptomatibus prodromis seu tur-

(1) Anfangsgründe d. prakt. Arzneyk. 3. Bd.

(2) Dissert. de vera diab. causa. Götting. 1824.

(3) Handbuch der spec. Pathologie. Bd. 2.

bis organorum digestionis notata, primum sistit morbi gradum.

2. Alterum gradum efficit perversa renum secretio, quae ratione incognita ex humoribus animalibus imperfectis eodem modo ut in aliis systematis reproductivi affectibus contingit, quibus perversa inducitur renum secretio, sic in helminthiasi lactescens, in febri gastrica jumentosa secedit urina, post usum terebinthinae, quae violas rediret, post asparagi usum foetet urina. Quid obstat, quo minus renes plantarum instar ex humoribus sibi advectis saccharum parent? an in plantis dulces in stirpis ipsius tabem ad cortices exudare humores non saepe videre obvium est? An dulcedinem melleam in sudore hominum, saliva phthisi affectorum, cerumine aurium secus amaro, observatores non adverterunt? quin immo nec imerito suspicari in diarrhoeis chronicis jacturam materiae nutrientis et saccharinae saepius ac sciamque tabis rapide crescentis et intensae famis rationem continere. Strictam vero has inter morborum formas et diabetem analogiam incedere, coexistentia diabetis cum illis, alternatio et transitus unius in alium manifeste ducunt. Rollo diabetici sputa rejicientis dulcia exemplum adducit, saliva fluxus in alio cum diabete alternat (Reil) Tussis chronica diabeti cedit (Pearson in Rollo) Ascaridum copia quam maxima tum praecedit, tum comitatur diabetem (Frank).

3tium gradum partium solidarum sistit resolutio, emaciacionis rationem continens, quae hac in cachexia per organa urophora ea ratione ut in alia tabis specie, per sudores colliquativos, diarrhoeas, blennorrhoeas, vel impetigines contingit.

Haec tamen vix exposita diabetis pathogenia symptomaticam potius quam nosologicam continet morbi theoriam, neque cur in generali systematis reproductivi hac effectio solum renes laborent, aut qualiter sacchari formatio contingat quaerentibus respondet.

Quam Darwin (1) de causa proxima foveat opinio, motus vasorum lymphaticorum retrogradi, quo chylus antequam in ductum thoracicum perveniat in renes vehatur, mere hypothetica et arbitraria est, saccharogeneseos enim doctrina in tenebris relicta, coeliacam vel lienteriam urinam.

(1) Sammlung auserlesener Abhandlungen z. Gebr. f. pr. A. Bd. VI.

lem potius, quam diabetem mellitum oriri debere nemo non asseret.

Alii cum Kausch (1) in constans morbi symptoma siccitatem et squamosam cutis indolem attenti, copiamque urinarum ingesta longe superantem, in auctam cutis absorptionem cum minutâ ex obstructione vasorum exhalantium transpiratione essentiam morbi locarunt, idemque analogia cutis sub spasmis, terrore, frigore, in quibus cum mutata urinae forma haec aucta secedit probare conati sunt. — Quod quidem concedendum esset, si solius quantitatis ratio haberetur, cum vero sitis et saccharogenesis momenta in hoc morbo principalia ex absorptione cutis nequaquam explicanda constituant, quin imo, cum Medici diabetorum cutem noui tantum naturali cutis madore emollitam, verum et tanto viderint sudore tectam, ut penes immanem, quam evacuarunt lotii quantitatem aegri sudore fere diffluxerint, assertum labefactari, necesse est.

Heidmann (2) ex nimia chyli in pulmonibus oxydatione diabetis repetit originem sequenti modo: chylus ex debilitate organorum digerentium imperfecte paratus in sanguinem conversus, oxygenii respirationis sub processu maiore quantitate impregnatus, separato pari ratione carbonio in saccharum convertitur, qui systema vasorum stimulo perigrino lacesitum ad eliminationem materiae peregrinae per renes compellit. Ex hac nimia systematis haematophori et renum irritatione, motus febriles, dolores capitis, lumborum, ex impedita nutritione, et materiae organicae deperditione, debilitas, tabes, appetitus auctus, ex humoris serosi excretione siccitas cutis, sitis intensa, provocatur.

Expertissimus P. Frank diabetis ortum peculiari adscribit veneno, ejusdem cum rabiei caninae indolis, verum modo contrario in faucium nervos, atque universum sistema lymphaticum saeviente, quod hydrophobiae spontaneae exemplo sub peculiari vitae positione in organismo praeparatur. Intensae per acrem hunc stimulum vasorum resorbentium activitati, sitis, faines, ardor in ventriculo, citissimus chyli non adeo ob ventriculi debilitatem, quam ob celeriorem resorptionem vix satis in abdome subacti in secundas vias transitus debetur; ab exaltata vero cutis

(1) Medic.-chirurg. Erfahrung in Briefen. Leipzig 1798.

(2) Rollo de diabete, op. inf. cit.

absorptione, absorpti vero torrentis versus renes directio-
ne secretio cutanea languens siccitasque; a materiae de-
mum nutrientis nondum assimilatae, quae potissimum sac-
chari partem gerit, et ejusdem quae in substantiam ces-
serat animalem resolutae per renes excretionem tabem ad
matulam repetendam esse. — Verum etiamsi veneni exi-
stentia, quae mere hypothetica et arbitratia est, plene
demonstrata foret, non proximam sed remotam habere-
mus morbi causam, et tunc quoque morbosa renum secre-
tio, saccharogenesisque expositio minima fundamento de-
stituta foret.

Nonnulli cum Vogel (1) paresim sive debilitatem,
aut laxitatem, vel statum spasticum ex irritatione oriun-
dum diabeti subesse opinantur; attoniam ex pallore mar-
core, tubulorum renalium expansorum probant exemplis.
Spasmum, partim a causis quibus morbus excitatus fuerit
antagonisticis, arthritide, ulcere, febri intermittentia praec-
ociter sanatis, quae instar stimuli meri agere putabantur,
et utilitate remediorum revellentium et sopientium, par-
tim a symptomatibus quae morbum comitantur indolis spa-
sticæ repetierunt. — Verum atonia concessa, repentinus
diabetis absque causis debilitantibus ortus, typicus decur-
sus, dilatatio morbosa post inflammationes quin diabetes
sequeretur, effectus roborantium nocivus saepe, saccharo-
genesis, qui explicari poterunt? Qui vero spasmum ex
stimulo profectum morbo subesse autemant; qui reddent
rationem: cur sub tanta morborum spasticorum frequentia,
aut in ipsa Nephralgia diabetes tam rarus occurrat? nec,
qui saccharum ex tali irritatione sola generetur, nec ta-
bis universalis quaestioni satisfacere valent.

Creutzwieser similem priori, modoficatam tamen
aliquantulum de causa diabetis proxima duplii sub forma
comparentis adornat sententiam. Huic diabetes phthisis est
renum lymphatica analoga phthisi pulmonum pituitosae.
In spastica nimia renum irritabilitas materias nutrientes
.versus renes allicit, hinc secretio urinae dulcis materia
nutriente scatentis aucta, febris hectica et tabes. In tor-
pida laxitas vasorum renalium affluxum humorum provo-
cat, qui stimulo accedente augetur, quod eodem prorsus
modo ut in blennorrhœa glandularum meibomianarum vel
hydrope contingere ait, ex consumtione et cutis aucta re-

(1) Praelect. academ. §. 367.

sorptione excedens urinae copia explicatur. — Sed ne prius dicta repetam, inepta diabetis cum phthisi pituitosa, blepharobleorrhoea et hydrope comparatio; diabetis spastici et torpidi; ut morbi formae a se disjunctae ex uno eodemque fonte, nimia irritatione, origo perpendenti facile theoriae insufficientiam exhibent.

Dupuytren et Thénard (1) causam proximam diabetis in exaltatam et perversam renum secretionem, eo quod nullis excepta urina, in humoribus sacchari praesentia detegatur, probandam collocant. Reliqua morbi symptomata, appetitus cibi, sitisque augmentum, absorptio nem cutis exaltatam, ut consectaria deperditionis, quae in justa cum restaurationis necessitate relatione sunt considerant, quae in hoc morbo non aliter ac in aliis evacuationibus nimiis obtinent, inde prompta in tubo intestinali elaboratio, et parva quae remanet foecum quantitas. — Licet vero multa hic paucis absolvantur; ultiro tamen indagantem unde dulcedo in saliva, sudore, muco, cerumine, unde perversa, et cur recte saccharinae et non alterius substantiae per renes secretio? imperfectio theoriae non latebit.

Meritissimus de re medica Hufeland (2) sedem morbi renibus attribuit, causamque diabetis proximam a momento chemico in renibus mutato repetit, quo ex sanguine sublati partibus aliis ad urinam in statu normali pertinentibus saccharum generatur, cuius rei fundamentum in affinitate electiva renum ad saccharum in sanguine ut nutrientium princeps contentum quaerendum est, quo subtrahito tabem subsequi necesse est. — Haec affinitas, si demonstrata foret, sufficientem quidem saccharogeneseos rationem redderet.

Sprengel (3) exinde quod urina diabeticorum diversa mixtione ab illa sanorum differat saccharinumque principium extracto plantarum simile Kali oxalico acetataque calcis constans evaporatione praebeat; sanorum vero urina urico, azoo abundante salibusque phosphoricis dives prehendatur, asserit: quemadmodum in infantibus voraci bus, iisque quorum ossa nondum conserbuerunt, quorumque urina salibus scatet oxalicis atque benzoicis, sic in dia-

(1) Institut. med. Tom. IV.

(2) Journal du Medecin, inf. cit.

(3) Encyclopedie der Medicin, inf. cit.

beticis mutationi acidorum vegetabilium in phosphoricum, albuminis et extracti saccharini vegetabilis in azotico prægnantem uricam substantiam aliquid ut officiat oportere. Idque si salium phosphoricorum in ipsis plantis ortum ex mutatione oxalicorum, aceticorum, et benzoicorum accegsu azotici consideremus, ex vitio assimilationis, quae eo modo labefactata esse videtur, ut chylus albuminosam et gelatinosam retineat indolem, partem fibrosam azoo contentem haud accipiat fieri debere; ac proinde ex prohibito azotici accessu, assimilationem hactenus perverti ac substantiam animalem ad gradum vegetabilem eatenus deprimi ut diabetes oriatur. — Qui vero perpenderit assimilationem non solum per conditionem processus vitalis in his organis vigentem, verum etiam per chyli ex intestinis ad haec allati indolem determinari; porro raritatem diabetis in tanta assimilationis morborum frequentia, lubens concedat non in assimilationis functione perversa; verum altius in organorum digerentium laesione culpam morbi quaerendam esse, quod tamen evincere, quibus crebra est observandi occasio relinquimus.

Haase⁽¹⁾ morbi pathogeniam ex affectione organismi primo dynamica, cui serius momentum accedit chemicum sequenti ratione derivat.

Primum diabetis momentum sistit hyperoxydatio humorum entericorum ex impedita per infarctus hepatis, lisnisque in diabeticis frequentissima occurrentes functione libera contingens. Humor sic degeneratus in organismum ut potentia nocens, eo modo redundat, ut resorptionis processum in organis digestionis et cute excitet, inde famis, sitis, lotiique rationes cibi et potus excedens augmentum. Renes eundem experti stimulum, exemplo vinorum recentium, acidulorum et cerevisiarum eo largius urinam fundunt, quo irritabilitas eorum per calculos renales vitam voluptuosam; abusu diureticorum magis exaltata fuerat. Hoc momentum erat dynamicum, morbus dynamicus, eosusque, donec diabetes insipidus est durans, sanationi haud repugnans. Mox vero chemicum, alterum momentum prodit, therapiae rebelle, nullis cedens medicorum armis vel solum pertinaciter, utpote saccharogenesi incohante, quae acido praedominante in organismo ex cibis amylaceis, quibus homines conditionis inferioris plerumque diabete cor-

(1) Op. proprio, inf. cit.

repti vicitare solent; eodem modo contingit, prout in experimento Kirchhofii, et aliorum chemicorum per acidum nitricum, muriaticum, aceticum extra corpus elicetur, ideo in excretionibus serosis, sanguine, saliva dulcedo, ut in ictero armaries. Renes id solum in diabete praestant, ut parataam materiam saccharinam maxima ex parte ex sanguine excernant. Cita autem corporis consumtio jacturae materiae nutrientis restitutionem superanti debetur. Theoria haec de hyperoxydatione humorum clarior est, si remediorum, quae hoc in morbo profuerunt ratio habeatur, opii, camphorae, pulveris Doverii, sulfuretorum, praecipue hydrosulfuris ammoniae, quae abundantia quo pollut hydrogenio virtutem desoxydantem, et narcoticam. Licet vero haec diabetis theoria infarctibus, et materiae amylaceae cum humoribus hyperoxidatis concursu innixa summa sit attentione digna, tum ob simplicitatem, tum ob facilem, quem inde capiunt phoenomena explicatiui; minime tamen quaestioni pathogeniae diabetis plene satisfaciit. Reponendum enim habenius, cur homines infarctibus, et acido per longissimam vitae periodum, quin diabete plectantur persistant? Ingeniosam, quam Stosch (1) de hujus morbi causa proxima stabilivit theoria. hypothesi nititur sistema automaticum in factorem positivum et negativum bifarianti. Hocce secundum auctorem diabetes tabi nervosae adnumerandus paralysim resorptionis venosae sive factoris negativi systematis automatici, quatenus chylificationi praest, ut causam proximam agnoscit. — Systema venosum resorberet materiis liquatione organica destructis dicatum; partes nota organica scatentes ulteriori metamorphosi progressione ineptas, chylo vero, cui character per has animalis galterior imprimitur, necessarias restituit. Torpente hocce assimilationis ramo, deficientibusque partibus memoratis, chylus praedominante, quam ex chyno adtulit oxygenii vi hyperoxydatus ad altiorem dignitatem amihalem extollit nequit. quapropter sanguini mixtus, ut materia cruda per renes excernitur; inde defectus urici, praesentiaque sacchari, macies, et cachexia universalis. Caetera quoque morbi symptomata, ex hocce derivat fonte, quae tamen cum evicta, experientiae lydio nedum probata sint, veris, certisque ne locum praeripiā relinquenda esse censui.

(1) Op. inf. cit.

In tanto rerum discriminē sententiārumq[ue] ambigūtate, cum quamcunque amplectamur theoriam; vix inoffenso versabimur pede, desistendum, et missis, quae alii Vaat, Hoffinan, Brandis, Barry, Lyster, Trnka, Berndt, etc. ingeniose circa hoc objectum excogitarunt hypothesibus, a materia caligine tecta ad eas transeundem esse duxi morbi causas, quas ratio expositionis jubet; experientia vero comprobat.

Causae praedisponentes.

Litigant auctores de necessitate ad hunc morbum dispositionis, quae ob casus raritatem tam incerta est; ut ex opinionibus dissentientium nil certi colligere liceat; Haereditaria nonnulli volunt esse dispositionem; pro qua tuenda plurimum ejusdem familiae membrorum diabete affectorum adducuntur casus. Apud Reil patris et filiae, apud Rollo trium fratum, qui diabete periverunt narrantur exempla. P. Frank duo ejusdem familiae membra morbo suis correpta refert. Isenflaum septem libros eorumdem parentum diabete consumatos suisce narrat. Aetatem alii accusant medium et proiectam, quibus tamen experientia, qua constat, nec tenerrimam evitasse morbum; imo ad mentem Mortonii infantes sub dentitionis periodo maxima gaudere in hunc morbum proclivitate, sumopere refragatur. Sexum dispositionis rationem continere, alii assertunt, unde mares praefeminis morbum crebrius contrahunt; verum id frequentiae causarum morbum provocantium quibus vi officii opponuntur potius, quam sexui triduendum esse videtur, nam sexum sequorem morbo affici superius memorata a Morgagnio et Frank adducta docent exempla.

Habitum robustum Nicolas, et Guedeville, serophulosum Richter, alium alii accusant; verum et vegeti; et debiles, ac cachectici simul non raro praebent morbi exempla. Plurimi vita e genus idque merito inculpant, qui vitam sedentariam agunt, qua torpor organorum abdominalium inducitur; imprimis, si huic animi pathemata opitulentur; qui in locis humidis depresso paludosis degunt; qui miseram laboriosam agunt vitam longosque post diei labores, vires cibis amylaceis fatuis resarcire student facilius morbi somitem contrahunt; sed et ii quibus validas

sunt ventriculi vires; atque ad vitam lantam proni, dum laboribus corpus exercent, varia nutrimenta potulentaque abundanter ingerunt dispositione in diabetem donantur, aut qui amissas per labores nimios exhaustentes, vires larga nutrimentorum potulentorumque fortiter stimulantium mole reficiunt terribilis serunt morbi semina.

Unde non unum horum momentorum dispositioni induendas sufficere, verum plurimum concursu opus esse juc dicamus, praeter haec vero momentis praedisponentibus accensenda erunt: abusus potulentorum aquosorum impennis tepide sumtorum: abusus theae, coffeae, ut (Boerhaave in sedulo litterarum Studioso observat) vinorum acidulorum, (Nicolas et Guedeville) cerevisiae albae, (Trnka) aquarum mineralium, (Lister) diureticorum acerum, cantharidum, asparagi officinalis apii petroselini, baccarum juniperi, allii, cepae, raphani rustic., balsamorum naturalium, emmenagogorum, mercurialium et antimonialium; virium corporis per labores duros, sanguinis per haemorrhagias, venaesectiones repetitas jactura, morbos praegressos exhaustio; vita libidinosa, catharticorum abusus protractus, equitationes nimiae, animi pathemata, tristitia, curae sollicitudines etc.

Causae excitantes.

Licet haec momenta praedisponentia, si longiori mora influant excitantium vices, non obire non possint; sunt tamen quaedam peculiari excitantium titulō insignita. Huc spectant: Refrigerium, morborum plurimum principalis fons; qua vero ratione contingat, aut quarum conditionum specialium concursu opus sit, ut recte hic et non alter ex imani morborum cohorte per hunc influxum provocetur non constat. Dieta in vegetabilem, usumque amylaceorum, solani tuberosi, leguminum usum protractum alii ut causas excitantes agnoscent; verum cum in tanta victus vegetabilis frequentia diabetes tam rarus occurrat, cum experimenta in animalibus idem haud confirmant; victum vegetabilem solum in plurium potentiarum consortio diabetis matrem constituere concludimus. Metastases prout aliorum morborum periculosissimorum ita et Diabetis genitrix habetur, idem auctorum observatio loquitur: suppressio materiae perspirabilis cutis (Brandis) arthritidis (Cornik) scabiei (Whytt) miliaris (Neufeld)

Leucorrhœas (Ballonius) dysenteriae, ulcerum inveteratorum (Sydenham) in terribilem diabetis formam erupere. Morbi organici systematis nervosi, uti etiam infarctus abdominales in nexu cum diabete existentes autopsia cadaverum edocti testantur auctores. **Saburram** biliosam in ventriculo collectam, aut **stercoraceam** intestinorum renes mole sua mechanice irritantem (Hoffman) praecipue vero verminosam ut causas adducunt excitantibus.

Ne Dureti judiciosi exemplum **millipedem** in rebus gerentis Dei misericordia exclusum in testimonium adducam, aliorum fide dignissimorum relatione constat, irritationem per vermes intestinales, imprimis ascarides causam morbi quem pertractamus frequentissime constituisse. Fürstenau in puerō bienni, Silvaticus in septenni diabetem anthelminticis repressit. Frank idem in uno aegrotorum quos sub cura habuit observavit. Porro morbi organorum uropoeticorum, ischuriā in diabeten abiisse Harris, Hoffman docet. Ruy sch duebus in diabeticis renes exulceratos reperit, ureteres intestini instar dilatatos, scabiem vesicæ Trnka alii calculos, indurationes, ossificationes et similia accusant. Tandem et prava consuetudo lotium diu retinendi, atque Coluberi et dipsadis serpentis morsus. — An contagium specificum ut ex uno casu Reil edocitus testatur, in seriem horum momentorum sit collocandum, posteriorum observationi relinquimus.

P r o g n o s i s.

Qui enorme materiae organicae hoc in morbo dispensidum ritè perpenderit, hunc vix fallit, morbum hunc in seriem gravissimorum collocandum esse, in quo parum arti, minus autocratiæ soli fidendum, inde praesagium omnis aevi infaustum invenimus. Non desunt quidem illius felicitati sub omnino curati quae spem erigant exempla, imo recentiorum quidam Dupuytren, Thénard, Nicolas et Guedeville, quos profundior in selectu remediorum naturae duxit cognitio, indubitatis innixi observationibus affirmant nullo sub periodo esse diabetem insanabilem, nequidem tunc, prostratis dumjam digestionis viribus, haec materias nutrientes suppeditare recuset; verum, si ex 20 quos Cullen conspexit, tractavitque aegris, nec unum a morbo liberatum legamus; si P. Frank diabetorum, quos in pra-

xi amplissima complures habuit, tantum duorum meminere fit, qui perfecte convaluisse videbantur, et quorum unus optime nutritus licet incesserat per plures jam menses, a morbo prehensus perivit, inviti in opinionem rapimur: plerosque medicorum de felici curae successu gloriosatos curam palliativam pro radicali, diuresim vero symptomaticam pro diabete habuisse.

Quae tamen cum quadam probabilitate in prognosi statui possunt ad haec redeunt: Diabetis insipidi sanatio ut levioris morbi gradus minore premitur difficultate, ac melliti, rarissime ut ex dictis patet sanati. Nonnisi longiori mora symptomatibus silentibus, extinctio quam molimur morbi plena ut certa considerari potest; accidit enim non infrequenter, ut emendationis speciosae succedant periodi, in quibus essentialia recedunt morbi symptomata, brevi tamen plerumque ex levi diaetae errore, animi motu, aut redintegrato vitae genere caput efferentia, adeo ut qui nunc de morbo feliciter devicto laetaretur eodem prehensus recidivo corruerit.— Senes in quibus compages organica laxior, propensio in indurations major et ossificationes, systema reproductivum a vigore recedit, reactio minor, potius quam juvenes, in quibus contraria organisationis et vitalitatis obtinet ratio, ab hoc morbo periculum incurruunt.— Bibaces et libidinosi, exaltata quippe abusu Bacchi et Veneris organorum uropoeticorum irritabilitate instructi, gravius aliis diabete plectuntur.— Quo majori quantitate lotium mittitur, quoque principii saccharini copia scatet notabiliori, gravius eo imminet aegro periculum.— Vitia organica viscerum, abscessus, ulcera renum, amplificationes, ossificationes vasorum, intumescentiae, nec non infarctus indurations glandularum meseraicarum, hepatis, lienis pharmacis rebelles, phthises pulmonum, sive praecesserint, sive, quod plerumque contingere solet, per ipsum morbum inducantur diabetem insanabilem annunciant, extumque lethalem praesagiunt.— Diabetes febris jam lentae symptomatibus atipatus cito in pejus ruit; nec tamen desunt vitae talium aegrorum per annum et ultro protractae exempla. Iibi hydrops diabeti, quod vix non ubique fit, senet associat senescenti, vicina, pulsat mors.— Unde caute cum hujus morbi proguosi mercanduni esse, cui vitat.

Therapia.

Nullibi plerumque medicinam auxilii egenam magis esse, quam, ubi majores remediorum divitias pro una etiam demque aegritudine possideri gloriantur theoretici, vel in ipso diabete apparet, in quo tam multa, tamque contraria inter se laudata fuerunt auxilia, ut vel ex hac solationis medendi inconstantia, plurimorum jam nimis manifestetur inertia. Pro varia nimirum, quam sibi quisque de natura morbi formaverat idea, diversa etiam ex omnifere remediorum classe non tam ipsi morbo opposita, ac variae quam de morbo fovebant sententiae adaptata fuerunt. Ex hoc ingenti Medicaminum penu selecta sic ordinabimus, ut praemissis iis, quae veteribus placuerunt remedia, recentiorum cohors sequatur, ordine quantum licet pharmacologico.

Veteres momentum morbi principale ignorantes methodum, quam idea de morbo concepta poposcerat, scientiarum vero gradus admisit medeudi sequebantur.

Celsus suadet exercitium corporis, frictiones, balnea, usum alimentorum adstringentium, vini austeri frigide epotis, tepide per hiemem; monetque sollicite illas evitare, quae uberiorem urinarum fluxum excitare solent.

Aretaeus diabetem hydropi aequiparans, a quo non nisi aquilegio differt, causa soluta regimen, quale hydropi convenit praecipit, rationem praecipuam sitis habens ardentis, ad quam fallendam cum numerosis remedii aliis mastiche, palmulis, malis cydoniorum, lacte, alica, theriaca Mithridatis, vinum adstringens pro stomacho roborando comedat.

Trallianus rejectis salsis atque aromaticis aliisque largiore urinae secretionem carentibus, cibos crassos non facile in urinam convertendos porrigi jubet.

Aetius venaesectione praemissa diuretica blanda suadet, quae tamen malo proiecto solerter vitari debent. Maximum autem huic affectioni remedium est, ut statim potatum revomatur. Diaeta uti couenit frigidiori, olera refrigerantia, cibi succulenti et mordacitate carentes exhibeantur, ova, alica, carnes porcinae probe coctae, vinum rufum, caseus recens, citra salem, porro non absurdum erit stuporem inducentibus uti: opio, castoreo, ex diaphore-

ficiis, maxime balneum vaporis, tum externa alia praescribit.

P. Aegineta methodos duas priores in unam nectit.

Actuarius „Ut in alvi prosluvio fluxionem per urinam carentia derivamus et alvum reprementibus ipsam sistimus; ita hic viceversa instituenda est curatio, et suo lentore infarcentibus, adstringentibusque et refrigerantibus fluxum cobibere, ac modice emollientibus ventrem laxare decet.

Quibus collectis combinatisque haud arduum erit colligere potissima veterum remedia sanguinis missionem universalem, cibos aegre comutabiles, et vinum rufum constituisse; quibus Aëtius diaetam scopo maxime adaequatam, et narcotica addit. Ut adeo hic, licet empirice magis non ut nostro aeo chemicis ex rationibus veritati quam proximus accesserit.

Quae recentiores commendarunt auxilia, numerosa guidem, nequaquam vero eodem se probarunt effectu.

Quare ex sequentibus, quorum virtus Auctorum testimonio probata passim fuerat, aptissima, individualitati congrua seligenda erunt;

Methodus antiphlogistica et ex hac sanguinis evacuatio universalis, veteribus imprimis morbi initio placuisse ex supra adductis patet.

Recentissimis temporibus Vatt Anglus bonum hujus remedii effectum serie exemplorum probat, laudatque venaesectionem ut praestantissimum et unicum in diabete remedium; cui consentire plurimi recusant, et aliis idem condemnantibus auxilium, alii nonnisi congestionibus versus organa nobiliora urgentibus adhibendum esse judicant; mirantur enim, qua ratione in morbo asthenico deprimens evacuatio prodesse possit. — Sit mihi fas meam quoque vilam de hac re cogitanti opinionem fateri. Sequens mihi venaesectionis in morbi primordiis utilitatis arrisit ratio. Cum in diabete sanguinis inaequalis distributio in organismo et manifesta versus renes congestio obtineat, ob statum eorum sive sympathice sive idiopathice irritatum; haec irritatio per continuum humorum affluxum; ip specie sanguinis materia peregrina gravidae, aut solum ob vitiatam assimilationem in statu morbos constituti affluxum non sustineri non potest. Remoto per venaesectionem hoc stimulo, irritatio quoque pro tempore suffertur, unde lo-

cus et tempus aliis medicamentis adhibendis conceditur. — Et certo, si numerum et auctoritatem eorum, qui omni aeo hocce remedium comendarunt respiciamus; nequaquam idem vilipendendum, verum cum cautela observationi ulteriori submittendum esse censerem.

Emetica vi renum secretionem restringendi antagonistica a Trnka, Stosch, Richter, Berndt laudata, tunc praecipue indicantur, si corporum perregrinorum in intestina delatorum, aut sabburrae ibidem generatae urget evacuatio, aut ubi indicatio totius systematis nervosi aut solum reproductionis alienatae activitatem emendandi, haec posceret remedia. Ut vero debitum praestent effectum saepius adhibenda sunt. Exhibitent vero aut dosi plena aut tantum refracta, ut nauseam excitent. Principem locum occupat Rad. Ipecacuanha, sed fere eodem fructu Tartarus emeticus porrigitur.

Purgantia per alvum, imprimis ea; quae praeter cathareticam roborantem quoque exerunt virtutem, quo respectu Rheum ceteris palmae praeripit, quod Harris, Mortonius Buchvald exemplis in Trnka adductis magnis efferunt laudibus; sed nec alia hujus ordinis remedii negligenda erunt, ob alvi enim constipationem, quae, partim secretioni in tubo intestinali turbata, partim opii lardo usu necessario inducitur frequentissime indicantur.

Solventia in cura hujus mali effectum exeruisse ladanabilem alii referunt. P. Frank mercurialium, quibus salivatio cietur usui multum fudit. Scott duorum refert historiam diabeticorum hydrargyri usu sanatorium quorum alterius recidivam passus acidi nitrici ope sanatus est. Josephus Frank eundem obtinuit felicem successum a hydrargo forma unguenti adhibito. Exhibitetur vero tunc praecipue, ubi syphilis, si non causam excitantem solum complicationem constituit. Optimum tum temporis corrosivus constituit remedium, qui saccharum decomponere et quem dulcis agere fertur. Antimonalia et Kalina alii commendant.

Roborantia, adstringentia, amara alii in auxilium vocarunt, qui veram debilitatem, laxitatem compagis organorum morbo subesse rati vim his addere intenderunt. Certo ubi acidum primarum viarum evacuatum, sensibilitas justa eorum applicationi non obest, non tantum robur organis, plasticitatem humoribus addunt verum

et periculis symptomatibus maciei, febri lentae diarrhoeas frequentissime occurunt. Ex hoc penu inter caetera quassiae, Cortici quercus, tormentillae, imprimis vero Cort. Peruviano multam tribuunt laudem. Stöller quadragenarium, alium Feriar ope Corticis cum elixirio vitrioli sanitati restituit; Inter auctores Wittingham hocce remedium multum commendat, qui penes hujus usum aluminis et aceti fomentationes externe adhibendas esse suadet.

Ferro qui indicant morbum esse debellandum aquas martiales pro potu, insuper phosphatem ferri exhiberi volunt (Frank Venables). — Alumen frequenter in aegri salutem fuisse exhibitum in pluribus Medicorum scriptis invenimus, sive in pulvere, sive in sero lactis solutum bis terve de die a scrupulo ad drachmam semis ut Frank suadet exhibeatur. Michaelis juvenem per annos diabete afflictum hocce curavit pharmaco. Gumi Kino Abrahamson, Catechu, Baglio et Schmid gloriose adhibuerunt, quorum tamen virtutem Gummi Myrrha admentem C. Griffithii multum superat, quam specifica plene virtute gaudere sequenti in connubio asserit: Rp: Myrrhae drach. I. solve terendo cum aqua alexiter simpl. unc. VI. et sem., adde sal absinthii drach. sem. sal Martis gr. XII., hanc massam in quatuor partes dividendam, per nychthemeron assumi et cum usu vini chalibati, elixir acid Whyt. infus. Rhei vinos et Tinctur Cort. peruv. necti jubet. Ex amaris demum Veitsch fellis tauri usum recentis præ ceteris laudat.

Ex stimulantium serie Stosch camphoram extollit exemplum diabetis hoc pharmaco dissipati referens. Schall activitatem illius in casu diabetis cum paralysi ac convulsionibus femoris dextri probatam reperit sequenti in connubio: Rp. Gumi Kino scrup duos Camphorae scr. I. et sem., pulveris aromat scr. I. flor. Zinc. scr. sem. f. mas. in 20 pill divid. dentur duo mane et nocte cum infus. Valerian et Tinct. Catechu ad unciam unam ter p. diem. Asae foetidae cum extr. myrrhae aquoso; ac Valerian usum conspicuum excepisse urinarum decrementum, ac tandem a Cupri ammoniacalis bis de die a gr. sem. ad integrum porrecto perfectam valetudinem excepisse, quam lauitor confirmaverat victus P. Frank in laudem Cupri ammoniacalis refert.

Aetheris acet. cum liq. ammon. succ. et Tinct. Castor usum le Fils approbatum commendat. C. Wolf curas diabetis asae foetid. felis tauri, ammonii pyro oleosi ac olei valerianae auxilio successu felici probatos ac Chanae ope terminatas refert, cui Muhrbek diabetem insipidum eodem tractans effectu consentit. Cantharidum vim medicatricem alii decantant, siue pulveris, sive Tincturae forma, sola vel in connubio cum opio ac Cortice exhibeatur, quarum tamē virtus a plerisque in dubium vocatur. P. Frank in diabete insipido post decem hujus tincturae guttulas conspicuum urinarum decrementum, gravissima stranguria exceptum fida observatione refert, in alio vero doles non quidein augebantur, verum nec urinae quantitas iminuta post hujus remedii usum observata fuit. Feliori, cum successu unus ex ejus auditoribus cantharidum in hoc morbo usum fecit, quorum emplastro ossi sacro imposito duos diabeticos resiliuit.

Ex Narcoticorum catorva, Opium quam maxime fuit commendatum, quod malum quidem minime radicibus evellit, ejus tamen ordinis remedium est, quod morbosam urinarum secretionem restringendo tolerabilem reddit aegri statum. Majori tamen dosi propinandum esse, ut optatus habeatur effectus experientia docuit, alvus inde constipa aliis est remediis interponendis debellanda. Notandum tamen ingentes nonnunquam hujus pharmaci doses ab aegris sine omni noxa perferri. Kreutzwieser, Rollo et alii opii puri aut in connubio cum magnesia ut Creutzwieser, vel cum tinctura antimonii tartarisata ut Rollo bono cum effectu adhibuit, usum, sufficere existimat. Cornik, Verner, Bader idem solum in connubio cum ipecacuanha optatum praestare effectum censem, ad cuius veritatem probandam Cornik duorum refert diabeticorum ope pulveris Doveri sanatorum historias, in quibus remedium a granis 20 quotidie circa horas vespertinas exhibitis ascendendo adeo auxit, ut post tres septimanas quotidie eodem tempore 70 exhibuerit. — Alterum quod e narcoticorum regno gloriam sibi hoc in morbo conscient est:

Ammonium hydrogenato sulphuratum, quod secretionem renum exorbitantem restringit, humorum vero hyperoxydationem coercet. Phaenomena quaes usum

hujus medicamenti per diabetem excipiunt sunt sequentia: famis iminuitur, spasmi (si adsunt) solvuntur, urinae secre-
tio restringitur, gingivæ et lingua ruborem laetum amit-
tunt, urina quantitative iminuta nullum principii sacchari-
ni residuum præbet, verum partes in urina sanorum inve-
niri solitas. Hoc pharmacon a Rollo nequaquam in mor-
bo recenti, verum solum in ejus progressu, ubi per Kali
sulphurati victusque animalis usum sacchari in lotio imi-
nuta reperitur copia, fluxu illius sub molesta fame atque
siti perdurante indicatum maxime commendatur. Inter plu-
res Travenfeld, Albers idem optato cum effectu ad-
hibuere remedium. Cautè tamèn hocce cum pharmaco, ac
sedula nonnisi medici sub inspectione porrigendum, quod
non tantum ex virtute illius generali, qua constat: idem:
vertiginem, debilitatem, temulentiam, somnum profundum,
alvi obstructionem, et imminutam pulsus frequentiam indu-
cere, verum et auctorum testimonio, qui noxios inde ef-
fectus videre, probabile fit. Rollo idem cum opio ac an-
timonialibus ad 4 usque 12 guttas quater per diem in
aqua destillata porrigit. Alii 4 usque 6 in libra semis a-
quæ destillatae guttas bis aut ter de die repetendas sufficere
existimant.

Qui acidum in primis viis praedominans interni ardo-
ris pro causa aspiciunt; hi aquam ex calce paratam cum
lacte (Rollo) vel magnesiam, quam calcinatam Hufer-
land laudat, adhibendam esse censem.

Alii, quae actia in sanguine involverent demulcentia
cum lacte porrecta, mucilagines, emulsiones ex guimmi
arabico, tragacanthæ reliquis præferenda esse duxerunt.
Tum demum nec defuere, qui putridam ut solutionem aver-
terent praeter supra memorata cinchonacea acidæ quo-
que hujus loci esse judicarunt. Wright acidum citricum.
Chavasse, Gilbi acidum nitricum. Schäfer acidum
sulphuricum in aegrorum salutem nec spe frustrati con-
verterunt.

Externorum quoque remediorum utilitatem in mor-
bo hoc atroci haud vilipendendam esse experientia docuit.
Vesicantium salubritatem supra memoratam hoc loco
haud repetendam esse duxi. — Balnea tepida pro-
sperrimo a viris Berndt, Meyers, Cullen, Watt,
Wolf, Ritter et pluribus successu suisse adhibita, ho-
rum primus refert, exemplum adducens speciale pueri ther-

mis Viesbadensibus ad suasum C. Ritter sanati. Huc et balneum vaporis ab Aetio praecipue commendatum. Cutis inunctiones cum oleo, quas, ut cutis spiracula, quae aquam atmosphaerae avide haurire credebantur obturarent Tissot suasit, Rollo sollicite adhibuit, post hunc plures, quin ullus fructum inde retulisset. Tandem balnea, et frictiones aromaticae; industria quae ex panno aspero (Flanell) confecta a Rollo multum commendata attentionem merentur.

Expositis hisce in diabete applicari solitis adminiculis methodos oportuisset theoriis supra memoratis conformes adornare; verum cum omnes enumerare hoc loco nec spatium nec tempus concedatur, unam eamque celebratissimam commemorasse sufficiat: videlicet a Rollo propositam et experimentis a Dupuytren et Thenard, Nicolas et Guedeville institutis probatam, quae in cura hujus morbi tanti momenti est: ut medicorum fungentium nemo, ubi de hac agitur, eam ignorare possit.

Duplicem vero hicce Vir format indicationem a generatione sacchari et ventriculi activitate morbose exaltata desumtam:

Prima indicatio poscit generationem sive evolutionem materiae saccharinae in ventriculo praepedire. — Huic indicationi per diatem stricte animalem satisfit, cum vegetabilia saccharogenesi faveant. Optime conducunt carnes vetustae, pingues, rancidae, si ventriculus has ferat, et quidem suilla, vervecina, ferina, quae plurimum azoi, atque sales praebet phosphoricos prae reliquis commendanda. Ne autem victus carnium nimis fatiget aegrum, medicinam ingratissimam victui huic praeferentem, varietatis causa pisces, ostreae, ova sorbillia, caseus non recens et lac cum una tertia parte aquae calcis remixtum, quod simul potui inservit interdum substituantur. Pro potu jusculum carnis, mixtum ex aqua comuni et aqua menthae piperitae addito vitello ovi; praeterea vino nimium adsuetis, vel quibus vires nimium debiles pauxillum spiritus vini copiosa in aqua. Evitatis omnibus potibus fermentatis, sumpta observetur in cibis potulentisque temperantia, quorum usus frequentior quidem, sed parcus una vice, qui urgentem solum frenet appetitum concedatur.

Ventriculi activitatem morbose exalta-

tam refrigerare et functionis in eodem norma-
litatem restituere, altera poscit indicatio. Hunc in
finem quietem corporis plenariam; tum remedia, quae ex-
cessum ventriculi obtundunt, acidum absorbent, et a nimia
succi gastrici degenerati mole liberant, tum, quae vigen-
tem in illo actionem vitalem immutare valent' Rollo com-
mendat, quibus opium hydrosulfur ammoniae, Kalina, oleum
tartari per deliquium, aqua calcis, tinctura antimonii ka-
lina, ex emeticis tartarus stibiatus ipecacuanha satisfaciunt.

In omni casu therapia diabetis a regimine diaetetico,
quale supra descriptum est incohari debet, cui si magna
humorum corruptorum quantitas ventriculum gravet una
aliave emesis praemittenda, eoque solo, si id sufficiat ac-
quiescendum, quod tamen per quotidianum remediorum ka-
linorum et absorbentium usum; ut kali sulfurati, cuius do-
sis ab initio drachmae unius paulatim ad drachmas duas
augenda, et sub potionibus aquosis haurienda; adjuvari de-
bet. Morbo adhuc recenti diaetam animalem strictissimam
illlico observet aeger, sub acutiori simul morbi decursu
victus parcus, venae sectiones, emplastrum vesicans super
renem utrumque, cum catharticis et diaphoreticis ordinan-
da erunt. Paulatim contra ad diaetam animalem transeun-
dem erit in morbo diuturniori, quo senes aut victui lauto
adsueti laborant. Quodsi, sub hoc tractamine pariores qui-
dem; minori sacchari copia scatentes dulces tamen et ju-
sto copiosiores reddantur urinæ, atque substantiae tenacis
materiae extractivæ analogæ in illis proportio excessu la-
boret, signum est: excedentem ventriculi activitatem mi-
nus esse sublatam, atque summæ efficaciae remedium tum
temporis præbet hydrosulfur ammoniae virtute nar-
cótica opium superante et desoxydante instructum, quod ni-
miam ventriculi activitatem coercet et processum vegetationis
ita mutat, ut in materia organica sacchari impediatur evolutio:
Dosis hujus remedii supra notatam; tractu temporis au-
ctis tinct. opii ac antimonii dosibus exhibuit Rollo, eo-
usque, donec haec morbosa ventriculi activitas sublata fuer-
at. Cujus status immutati signa erant: urinæ parcae; sa-
turatae tinctae, quæ evaporatione residuum odoris ingra-
ti, saporis salvi relinquunt, appetitus innutus ciborum fa-
stidium, pallor linguae et gingivarum laete prius rube-
scantium. Atque nunc primum ab initio lèves corporis mo-
tus instituendi et sensim ad usum panis reliquorunque ci-

borum vegetabilium redeundum erit, nunc amaris pro reborando stomacho opus erit. Aptissimum post diaetam animalem ex oleraceis: brassicae, botrytis, spinaciae et lactucaceorum experientia comprobavit usum. Panis usus cautelam requirit, qui non raro sopiti resuscitavit diabetis phaenomena; inde etiam sub convalescentiae periodo urina inspicienda erit, ut levissimis, ubi se manifestant, morbi symptomatibus occurrere valeamus, donec non solum morbi, sed ipsius etiam dispositionis deleta fuerint vestigia.

Ne tamen a protracta nimis quiete, et diuturniori carnium et remediorum desoxydantium usu, status diabeti oppositus colliquatus scorbuticus inducatur, et hac ratione aeger in graviora conjiciatur mala, tempus quo a victu animali paulatim recedendum sit, haud praetervidendum erit. Tormina abdominis, foetentes alvi dejectiones, profundior urinae color, oleosa in hujus superficie pellicula spiritus foetens, inertia et lassitudo, indifferentia erga cibos potusque, et quamvis corporis motum imminentem statum scorbuticum indicare plerumque consueverunt.

Auctores quos circa hanc materiam relegi, sunt:

Praeter opera antiqua Celsi, Galeni, Araetei, Aetii, Tralliani, Pauli Aeginetae, Actuarii etc.

Thomas Willis, Pharmaceut. ration. sect. IV. Cap. III.
Trnka de Krzovitz, de Diabete Commentarius. Vindobonae 1778.

Rolle, Abhandlung des Diab. mellit. mit Cruickschanks chemischen Versuchen über den Urin und Zucker, herausgegeben von Heidman. Wien 1801.

Haase, Kur der chronischen Krankheiten. 3. Bd.

P. Frank, epitome de curandis hominum morbis. Lib. V.
C. Reil, über die Erkenntniß und Kur der Fieber. Bd. 3.
Journal de Médecine vol. XI. — XII. 1806. Dasselbe in Deutschen: Med. Annalen des 19ten Jahrhunderts 1806—1808:

P. Peterfi, de diabet. Vindobonae 1824.

A. W. v. Stosch, Versuch einer Pathologie u. Therapie des Diabetes, Berlin 1828.

Encyclopädisches Handwörterbuch der med. Wissenschaften von Busch, Graefe, Hufeland, Link und Rudolphi. Bd. 9. Berlin 1833.